

bus^a, morte superveniente minime complere potuit, vos successor eius sicut et multa alia preclara, quę vestro tempore contigerunt, perficere studeretis, unde tota latinitas solatium haberet et gaudium. Ut enim detractioes omnium tam longe quam prope removeantur, qui auri vel argenti gratia potius quam dilectione^b vel alia ratione^b partes inperatoris substantare videntur, offero^c [me]^g facturum et accepturum in presentia vestra ab inperatore iusticiam, si ita, sicut rogamus, feceritis. Quod enim quidam pecunię potius quam iusticie amatores pretendunt nos super inperatorem Christianum iniuste arma cepisse, si velimus a lingua dolosa¹ et carbonibus desolatoriis² nobis partes nostras rationabiliter tueri possumus.^d In primis enim, ut quam sanguinolentis manibus, horrendis sceleribus, quam seva proditione dominum suum de imperio eiciendo honorem illum adeptus est, sileamus, ex quo in cathedra pestilentię sedit³ universali ecclesię et apostolicę universalitatem^e, quantum in ipso fuit, e suis abstulit, unde eum et suos a Romana ecclesia dissentire manifestum est. Quid vero inde sequatur, palatinos ignorare non credimus. Quod ideo tacemus, quoniam in presentia vestra verbis male nominatis parcere volumus. Quoniam vero hec iniuria in omnes filios matris nostrę Romanę ecclesię redundare^f dinoscitur, hanc cum multis aliis, [que]^g Ierosolimitanis sua rapiendo, interficiendo, spoliando, in mare mergendo, in exilium trudendo^h nequitur ab ipso et a suis facte sunt, ulcisci Deo auxiliante desideramus. Quapropter si fas est salva reverentia vestra patrem incitari ad bonum a filio, vestrum potius esset hoc negotium quam alicuius; vicarius enim estis beati Petri, cui soli, apostolis dormire et requiescere in passione a Christo cum concederetur, dictum est: Simon dormis⁴? etc. Cum igitur dormicio Simonis quam aliorum reprehensibilior esse videatur, ad vos precipue respicit, qui cathedram eius regendam suscepistis, ne dormiatis. Scriptum est enim: dormierunt somnum suum et n(ihil) in(venerunt)⁵ et in evangelio: videte ne inveniatis vos dormientes⁶, et in propheta: non dormitabit neque dormiet, qui c(ustodit) I(srael).⁷ Et firmissimeⁱ sciatis iter alicuius pape

^a) celebratum vobis presente.

^{b-b}) aliam dilectionem vel ratione

^c) Offere

^d) posumus

^e) uniuersalitate; *lies*: unitatem?

^f) redu-

dare

^g) *fehlt*

^h) *trudedo*

ⁱ) *firmissis*

¹) Ps. 119, 2.

²) Ps. 119, 4.

³) Ps. 1, 1.

⁴) Marc. 14, 37.

⁵) Ps. 75, 6.

⁶) Marc. 13, 36.

⁷) Ps. 120, 4; Jes. 5, 27.